

1665 241225
DISPUTATIO PHYSICA,
De

Magis tempestates
cientibus,

Qvam,

Favente Supremi Numinis Gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Præcellentis atq; Præclarissimi,

DN. M. JOHANNIS MÜLLERI,

Facultat. Philos. Adjuncti,

Fautoris atq;ve Amici sui honoratissimi,

publicè pro virili defendet

Gottlob Freyaana /

Elstrâ - Lusatius,

Ad diem XI. Octobr. Anno M. DC LXXVI.

WITTENBERGÆ,

Literis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



1811

MAGIS TEMPERATE
CICERONIS

DR. M. JOHANNIS MULLERII



Handwritten text, including a signature and date, which is mostly illegible due to fading and bleed-through.



DEUS adsit conatibus nostris !

Άευ ηροοιυις.

§. I.

DErvasisse sibi *Veneficas* & *Satellites Satanae*, se *pluvias*, *grandines*, *tonitrua*, *ventos aliasq; tempestates* *ciere posse*, quibus *fruges perdant*, & *alia mala hominibus* & *creaturis aliis inferant*, nemo est, qui ignoret. Disputare igitur coeperunt Viri eruditi, *utrum etiam revera tale quid praestent Sage*, an *verò mere sint praestigia* & *ludibria*? Ac fuerunt multi, qui planè *negarunt*, veras tempestates à magis excitari: ex quorum schola cum primis *Seneca lib. 4. Natural. Quest.* ita dicit: *Rudis adhuc Antiquitas credidit, imbres cantibus attrahi* & *repelli: quorum nihil posse fieri, tam palam est, ut hujus rei causam nullius Philosophi intranda Schola sit.* Idem ferè censent recentiorum quidam cum *Wiero lib. 3. de Praestig. Demonum cap. 16. Godelmannus in tract. de Veneficis, Ponzinibius in tractat. de Lamiis, Ulricus Molitor in tractat. de Python, mulier. & alii: causam assignantes, quòd ab Homine ne una quidem gutta aquae produci possit: item quòd impiè Dæmoni ea adscribantur, quorum, utpote pruinae, grandinis, pluviae & similium origo Deo tribuatur in Scriptura.*

§. II.

Speciatim nunc libet audire *Wierum*, qui ita loco citato ait: *Singulari insuper ratione in aëre concitando illuduntur brunnula (veneficæ) à Diabolo, qui simul atque ex Elementorum motu & natura cursu, citius faciliusq̃, quàm Homines, mutationem aëris & tempestatem fore prœvidet, vel alicui insigendam ex abstrusa Dei voluntate plagam, cujus ad ipsum spectet executio, intelligit; tunc harum muliercularum mentes agitat, variisque imbuat imaginibus & suggestionem multiplici, quasi ob invidiam in proximum, vel ob vindictam adversus inimicum sint aërem turbaturæ, tempestates excitaturæ, & provocaturæ grandines. Itaq̃, eas instruit, ut varia deliramenta efficiant, quibus excitari posse tempestates credant. Atque ut arctius eas Satan illaqueet, diem & horam sibi notat præfigit. Cùm verò successum hæc vident, nimirum quascunque desideratas in aëre tempestates, magis confirmantur, quasi eventus hic subsequatur ipsorum operationem, quâ ne aquæ quidem stillam elicere possunt. Hæc ille. Nonnulli censent, Diabolum illudere tantùm sensibus Sagarum & aliorum hominum, ut tempestates se videre aut audire putent, cùm minimè videant vel audiant.*

§. III.

Contrà autem alii *adfirmant*, verè tempestates à Magis citari posse. Adducit hujus Sententiæ Defensores plurimos *Petrus Binsfeldius in tractat. de Malef. lib. 4. qu. 4. citatus ob id à Martino Delrio Disquisit. Magicar. lib. 3. qu. 11. pag. 137. f. 4.* Possent & ex novis Scriptoribus pro parte affirmativa aliqui produci, si opus foret. Nobis sufficiat hæc vice, nominasse unum *B. Sperlingium*, qui in *Synopsi Physica pag. 83.* ad Magiam Dæmoniacam (non Præstigiatoriam, sed) Effectoriâ hoc refert, quando Sargæ per tempestates illatas fruges perdunt. Addi tamen etiam possunt *Schottus in Physica curios. libr. 1. cap. 34. p. 160.* *Ludovicus Willichius im Zauber Teuffel c. 19. pag. 223.* *David Mederus in den Herten Predigten Conc. 5.* His igitur & nos calculum nostrum addimus.

§. IV.

§. IV.

Non tamen simpliciter illud affirmamus, sed meritò certas *limitationes & cautelas* addimus. Ante omnia igitur constat, Sagas tempestates moturas & grandines provocaturas varia *verba, ritus & ceremonias* adhibere. Sic quandoque filices post tergum occidentem versus projiciunt, aliquando arenam aquæ torrentis in aërem conjiciunt. Plerumque scopam in aquam intingunt, cœlumque versus spargunt, vel fossulâ factâ lotium aut aquam illuc effusam digito aut baculo circumagitant. Subinde in olla porcorum pilos bulliunt; nonnunquam trabes vel ligna in ripa transversè collocant, & id genus alia deliramenta efficiunt. *Vid. Wier. loc. cit. De Cianitis Indis refert Delrius ex epistolis anno 1590. & 1591. ex Peruvia scriptis*, quòd pluviâ indigentes ridiculum huncce ritum observent. Nimirum Magus quidam magnâ vocis contentione & acceleratione clamat, ut omnes ad montem certum concedant, quò postquam pervenerunt, ut quilibet consveto more à cibis abstinereat. (Est autem eorum hoc jejunium, ut à sale, pipere, cibisque coctis se contineant.) Quòd ubi factum est, voce intensâ & clamore summo stellas invocant, aquamque precantur, & ad terras castellumque paganum sese vertunt, portionem quandam in manibus tenentes: quam ubi nobilis alicujus adolescentulæ manu porrectam ebiberint, ita à sensibus abducuntur mentisque impotes fiunt, ut mortui videantur. Sed ubi in se redierunt, mel aquâ & maizo miscunt, quibus permixtis nubes aspergunt. Die sequenti nobilem aliquem, aut conspicuum & venerandum quempiam Senem in lectum deponunt, subjecto lento igne, atque ubi sudare cœperit, sudorem vase excipit Magus, anserino sanguini admiscet, atque ex radice expressa aqua rursus in aëra jactat, nubes ut tingat; rogat per sudorem, sanguinem & aquam, ut desideratam pluviam largiantur. Quòd si casu ea die, quâ sunt superstitiosi, pluat, gratias agunt stellis, magumque multis muneribus efferunt.

Nicolaus Remigius lib. 1. Demonol. cap. 25. scribit, Sagas acceptâ à Dæmone virgâ tantisper verberare aqvas, usque tum vapores fumosque abunde excitent, quibus cum unâ sublimes efferantur. Illud deinde, quod sic esset excitatum, se in nubes densas & caliginosas induere: quod, postquam unâ cum Dæmonibus ei essent involutz, agerent pellerentque, quâ esset libitum, & tandem multa præcipitatum grandine in terras demitterent. Antequam autem, pergat ille, undam ita diverberant, aliquando in eam immittunt ollam fictilem, cui aliquid arcanum Dæmon includit, veletiam lapides tantæ magnitudinis, quantam volunt grandinem decidere. Interdum candelas inversas super stagnum tenent, donec guttæ defluant: aliàs pulverem medicatum in aqvas spargunt. Ad diverberandam autem aqvam ut plurimum virgis nigris à Diabolo datis utuntur, & his constantissimè aqvam flagellant, & diras simul verborum execrationes ingeminant. Addit verò, hoc ipsum plus minùs ducentos Homines, qui ipso inqvisitore & duum viro damnante incendio crimen sortilegii luerint, confessos esse. Hic ipse Remigius loco eòdem narrat, quòd in Ditione Trevirensi rusticus fuerit, qui cum filiola sua ostenni cautes plantaverit in horto. Filiam fortè collaudavit, quòd aptè hoc munus obiret. Illa sexu & ætate garrula, se nosse alia facere magis stupenda, jactat. Pater, quid foret, sciscitatur. Secede paululum, inquit, & in quamvis horti partem, subito imbrem dabo. Miratur illa Pater, age, secedam, ait: quo recedente serobem puella facit, in eam de pedibus aqvam (ut cum Hebræis pudentiùs loquar,) fundit, eamque bacillo turbidat, nescio quid submurmurans: Et ecce tibi subito pluviâ de nubibus in conditum locum. Quis, inquit obstupefactus Pater, hoc te docuit? mater, respondet, hujus & aliorum similium peritissima. Plura hujus generis vid. apud Remig. Delrium & Schottum.

§. VI.

Has verò ceremonias, hos ritus nos censemus nihil ad rem facere atque conferre. Unde enim probabitur, per has ineptias elici tempestates posse? Sanè is, cui causæ tempestatum notæ sunt, nunquam ridiculis istis gestibus aliquid circa originem tempestatum tribuet. Adde, quòd multa ex istis meram quantitatem sapiant. Ast quantitatis & eorum, quæ quantitatem aliquam inferunt & sapiunt, qualia sunt verba, characteres, circuli, inclinationes &c. nullam esse efficaciam, alibi ostenditur. Dicendum itaque, Cacodæmonem instigare miseros illos homines, ut talia media in se inefficacia adhibeant, ac persuadere iis, quòd vi maximâ ad producendas tempestates polleant, ut scilicet eos faciliùs in superstitione, cui se semel mancipârunt, & sub potestate sua, cui se subjecerunt, conseruet.

§. VII.

*Solemne enim hoc est Diabolo, dementare atque excæcare sua mancipia, ut credant, variis verbis, ceremoniis, ritibus, circulis, characteribus & similibus ineptiis maximas res geri & perfici posse. Unde his omnibus virtutem summam in variis rebus, ab iis, qui Satanæ laqueis constricti sunt, tribui quotidie videmus. Sic exempli causâ verbis *morbos sanari* posse perhibent. De Epilepsia versiculi sequentes in aprico sunt:*

Caspar fert Myrrham, thus Melchior, Balbasar aurum,

Hæc tria qui secum portârunt munera Regum;

Solvitur à morbo Christi pietate caduco.

*Febrim curari ajunt, si quis manum laborantis apprehendat, & hæc verba recitet: *Æquè facilis tibi hæc sit febris, atque Maria Virgini Christi partus. Dolorem dentium tol-**

li, ajunt, recitatione verborum: *Os non comminuetis ex illo.*
Aut etiam si à collo suspendantur hæc verba: *frigiles fal-*
cesque dentate, dentium dolorem persanate. Vid. *Beat. Sper-*
lingium Institut. in cap. de Magia. qv. 1. Sanguinem è naribus
profluentem *fisti* posse his rythmis credunt: *Sanguis mane*
fixus, sicut Christus pro te crucifixus: Sanguis mane in venis, si-
cut Christus pro te in panis; quæ verba etiam Fernelius lib. 2.
de abditis rerum causis adprobat.

§. VIII.

Ita etiam opinantur, verbis, figuris, characteribus,
imagunculis, ceremoniis, speculis, cribro & aliis morbos
inferri, res furto amissas recuperari & alia plura præstari
posse. Referunt, in imagine cerea aliave assari aliquem
posse, configi, item surdum, paralyticum, cæcum, clau-
dum, impotentem ad Venerem reddi: nullum item mor-
bum posse nominari, qui non tollatur aut arietis sigillo,
aut tauri, aut geminorum, aut aliorum Zodiaci signo-
rum. Quando Sagæ ad sua conventicula cupiunt trans-
portari, tunc primò inclinationes certas præmittunt, cir-
culosque aliquos faciunt. Deinde adhibent unctionem
ex variis rebus insulsis confectam, quâ inungunt crura,
aut baculos, scopas, aliave instrumenta, quibus transve-
huntur, aut saltem transvehi se credunt. Denique pro-
nunciant verba hæc: *Oben aus / und nirgend an.*
Plura adducere nolo, cum adduci aliàs magna in copia
possent. *Sed ubique fraus Diaboli subest*, uti anguis latet
in herba. Si sequuntur hos ritus veri effectus, sunt illi
à Diabolo *μυγιότεχνη* & *κακέργω*, non autem ab i-
stis vocibus & ceremoniis.

§. IX. Por-

§. IX.

Porro dicimus, (ut ad rem iterum perveniamus,) Sagas & Magos nunquam solos & proprio Marte ejusmodi Meteorora posse ciere; sed semper ad ea excitanda requiri concursum & auxilium Diaboli. Quia autem ipsius etiam Diaboli potentia ita à DEO est limitata, ut sine ejus voluntate nihil planè possit perficere, ideo addimus ulteriùs, *semper DEI permissionem debere accedere.* Etenim solus DEUS Tempestates in sua potestate habet, easq; regit pro sua voluntate. Inde etiam sacer codex, quoties de Tempestatibus agit, DEUM autorem earum facit. *Ipse dat viam procellis sonantibus,* ait *Jobus cap. 28. vers. 26. Dat vehementissimum imbricursum, & viam sonanti tonitruo, mittit fulgura, & eunt, idem inquit, cap. 38. vers. 25. Ipse pluviae pater est, ibid. vers. 28. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum de caelo,* refert *Jeremias cap. 10. vers. 13.* Plura vid. ap. *Balduin. in Cas. Consc. lib. 3. cap. 5. Cas. 9. pag. 747.* Quare nec Diabolo, nec mulieri alicui, aut alteri ministro Satanæ inest facultas pro lubitu de tempestatibus constituendi. Et certè si esset, nos omnes jamdudum periissemus. Elegans hujus rei exemplum prostat in *historia Jobi,* (de quâ postmodum referemus,) cujus liberis & pecudibus per tempestates Satanæ nocere hautquaquam poterat, nisi priùs eam veniam à DEO impetraret. *Conf. Job. cap. 1.* Si autem DEUS permittat Diabolo, ut agat, quod ipsi lubet, tum ipse, & ipsius auxilio ministri ac ministræ ejus sine difficultate movere & ciere Meteorora possunt.

§. X.

Nec diffitemur tamen, (ut & hoc addamus,) quòd subinde ludibria Diaboli subsint. Nam dum Diabolus, qui in rebus Physicis peritissimus est, prævidet è causis naturalibus futuram verbi gratiâ pluviam, Sagas & Lamias sæpe instigat, ut ritus ex pacto constitutos adhibeant, scilicet herbas

certas coqvant, characteres scribant, aqvam serobi à se effossæ infundant, verbis & gestibus certis utantur, illisq; sic persuadet, ipsarum operâ id contigisse, ut tempestas oriretur. Sicut nec illud negamus, *Dæmonem interdum meris præstigiis homines ludere.* Facile nempe Diabolo est, facilè ejus servis, glaucoma oculis hominum objicere & sensus eorum pervertere. *Perstringit Diabolus,* ait B. Lutherus in Gal. cap. III. *tam vehementer omnes sensus, ut miseri homines putent, se audire, videre aut tangere aliquid, quod tamen non vident, audiunt vel tangūt.* Quis nescit, ita interdum dementari homines à Satana, ut credant, se bruta esse, credant adstantes alii, cum tamen veri homines maneant? Alia exempla prætereo. Tales ludos etiam circulatorum nonnunquam spectatoribus suis exhibent.

§. XL

Causæ verò omnium tempestatum *sidera* sunt, quæ modò hæc, modo alia Effluvia ex terra & aqvæ extrahunt: unde nunc pluviam, nunc venti, nunc fulmina, nunc alia sunt. Nam quod concernit verbi causa *pluviam*, ibi stellæ ex aqvæ & locis humidis varios extrahunt vapores, qui, quando in mediam aëris regionem perveniunt, igne, propter frigiditatem illius regionis, privantur. Hinc magis & magis condensantur, inque aqvam crassam mutantur. Hæc cum gravis sit, naturæ impetu decedit. Prout verò guttulæ aqvæ, (quæ in orbem se cogunt, ut hosti externo, nempè

igni,

igni, fortiùs resistant,) magnitudine, frequentia & impetu variant, ita etiam pluvia magna & media oriuntur. *Ventos* quod attinet, ibi peculiari astrorum influxu spirituosae ac flatuosae effluvia è terris & aquis educuntur, quæ nunc infimam aeris regionem, nunc unà mediam agitant, & obviam quæque concutiunt. In aliis par est ratio. *Conf. passim Phisici, privatim B. Sperlingius in cap. de Effluviis.*

§. XII.

His ita suppositis, *nequaquam concedimus, Diabolum vel ei addictos aliquam in sidera habere potestatem*, ita, ut ea, sive sistere, sive retro agere, aut alio modo eorum cursum à DEO ordinatum impedire possint. Ita enim sequeretur, eos ordinem universi turbare posse, quod esset contra Providentiam Divinam. Unde non possum adurgere sententiae *Gentilium, statuentium, Lunam per veneficorum carmina de cælo posse detrahi*. Quæ de causa pulsati æris crepitu, sono cymbalorum excitato, & clamore elato, præ quibus scilicet non audirentur Magorum carmina, subveniebat laboranti Luminari simplex multitudo. Non enim magis consentanea rationi hæc fabula est, quàm recentior populi cujusdam rudis, opinantis, Lunam ab asino epotam, quia pecus Arcadicum de flumine biberat eo tempore, quo Luna nube velata videri desierat: Unde miserum Sileni vectorem in carcerem conjecerunt, & alvo ejus rescissa, ut Lunam mundo redderet, sævissimè eum exenterarunt. Videtur autem ejus origo hæc esse, quòd ignotarent causam deliquii Lunaris. *Vid. Plutarchus lib. de præcept. connubial. Ludov. Vives in Comment. ad lib. 10. Augustin. de Civit. DEI Demst. ad Antiquitat. Rosin. lib. 1. cap. 8.* Sed ferendi forsàn sunt Gentiles. *Quis autem ferat Poëtam Christianum, sic canentem:*

*Verba vel alto errantia cœlo
Sistere sidera, verba potentem
Noctis possunt ducere Lunam.*

§. XIII.

Ulteriùs dum tempestates à Diabolo & Lamiis cieri posse adserimus, non calculum addimus *Bodino*, fulminum omnium Diabolum causam esse, qui dixit. *Cur sæpe, quærit ille, ruptis flamma nubibus ingentia tonitrua exaudiuntur, sæpius tamen effractis & hiantibus fulgur tantùm sine tonitruo emicat? Respondet, cùm cælum ita subito aperitur splendore, nullum argumentum majus esse, quo demonstrari possit, tonitrua non à fragore nubium, sed potiùs à vaporibus divònes excitari. Semper enim aliàs ruptis flamma nubibus tonaret, & sine nubibus tonitrua nunquam exaudirentur. Cùm tamen utrumque sit falsum, quia & sine nubibus ullis cælo sereno tonitrua fiant, & sæpius fræctis ab igne nubibus nulla tonitrua percipiuntur. Imò terribilissimum sulphuris odorem totum aërem infestare ibi, ubi decidant fulmina. Idq; certissimam significare presentiam Demonis. Ubiunque enim Demones cum Hominibus nefaria societatis fide copulentur, sædisimum semper relinquere sulphuris odorem; ac pingvem & fumosam exhalationem efficacissimum ad Demonum actionem esse instrumentum. Vid. ejus *Theatr. Natur. lib. 2. p. 208.* A quo quidem non multum abijt *Johannes Baptista Helmontius*, novus tum Physicæ, tum Medicinæ turbator, qui in *Ort. Meteor. pag. 74.* ita scribit: *Credo prorsus, Tonitru causam omnem habere non supra, sed præter naturam.* Et alibi dicit: *Fragor sive vox tonitru est Cacodæmonis ingentis roboris effectus.**

§. XIV.

§. XIV.

At, Tempestates suas agnoscunt causas, & ex causis suis naturalibus progrediuntur. Nam *fulmina* ex effluviis sulphureis & nitrosis permixtis sunt. Sulphur flammam concipit, à qua abhorret nitrum, fugaq; sibi consulens strepitum edit. Conjuncta ista effluvia tamdiu se invicem tolerant, quamdiu sulphur non accenditur. Factâ verò inflammatione, mox sequitur fragor & violenta ignium ejectione. Fragor ex subita aeris percussione, ignium ejectione expugna. Res non aliter se habet, ac in pulvere pyro. Hujus enim compositio è sulphure & nitro constat. Cùm igitur sulphur, ceu primum inflammabile, accenditur, tunc cum impetu fugit nitrum, vehementer turbat aërem, & sic cernitur corruscatio auditurq; sonus. Pleniorum hujus rei explicationem *vid. ap. B. Sperlingium in Institut. Cap. de Meteoris Ignitis.*

§. XV.

Distingvimus igitur, ut propius ad rem accedamus, inter *Causam moralem, & Physicam.* Hæc, ut Metaphysici tradunt, est, *quæ physicè influit in effectum, eumq; immediatè ac per suam Entitatem attingit.* Illa, *quæ quidem physicè non influit in effectum, nec illum per suam Entitatem attingit, actu tamen moraliter bono vel malo movet agens Physicum, ad effectum producendum, qui proinde ipsi imputatur, ac si physicè egisset.* Ita ignis est causa Physica combustionis ædium: incendiarius causa moralis. Occidens hominem, causa Physica cædis est: impellens autem causa moralis. Dicimus igitur, quòd *Diabolus & Sage in concitandis tempestatibus non sint causa Physica, sed tantùm morales.* Non enim Physicè in tempestates influunt, aut eas immediatè

producunt; sed tantum actu morali malo circa eas versantur, ac Diabolus quidem, dum principia tempestatum jam in aëre prostantia conjungit, activa passivis applicat, & tandem totam massam in fruges, quas perdere cupit, aut in alium, in quem vult, locum derivat. Sagæ autem, dum Dæmonem ad id obligant, ut vi fœderis, quod cum eo inierunt, ipsis in eiendis tempestatibus opituletur. Alias Causæ Physicæ hîc sunt DEUS, sidera, & Effluvia.

§. XVI.

His ita expositis, quantum satis esse censemus, sententia nostra stabilienda venit. *Probamus autem eam primò ex pacto Magorum & Magarum, quod cum Diabolo habent.* Omnes enim illos, sive Viri sint, sive fœminæ, fœdus aliquod cum Diabolo iniisse, constat ex variis effectibus præternaturalibus, quos edunt. Est verò fœdus sive pactum hoc vel *explicitum*, quando albe veneficorum nomina suadant, & DEO renunciant: contra Diabolo homagium præstant, ei que & corpora & animas suas tradunt. Hoc enim quandoque fieri, ex confessionibus Veneficarum palàm est. Vel est *implicitum*, quando absque fœdere expresso artes Diabolicas exercent. *Conf. B. Sperlingius in Synopsi pag. 85.* Et vid. *B. Benedictus Carpzovius Prax. Criminal. p. 308.* Propter hanc igitur pactionem, sive expressam, sive tacitam, Diabolus Magos opere in quocunque, quod ad contumeliam Divini Numinis & damnum hominum pertinet, adjuvare tenetur, imo vult libentissimè,

§. XVII.

Deinde probamus à *Diaboli potentia.* Non enim impossibile est Dæmoni, ignem ex aëre in terram instar fulminis dejicere, quò multa perdat & consumat. Non quòd
runc

tunc aliquam supra aërem existentis partē defumtā demittat, nec enim ibi ignis datur, sed quod applicando activa passivis in aëre ignem accendat, ac deinde per motum localem deiciat. Potest etiā Satanas congregare in aëre & mittere in terram vehementissimos & turbulentos ventos, qui magna subvertant nonnunquam aedificia. Potest gravissimos in mari tempestates, aquas maris scilicet ab imo sursum commovendo per ventos alibi spirantes eò deductos, excitare. Potest quoque ingentes facere terræ motus, vel mittendo vehementem aliquem spiritum in cavernas terræ, vel inclusum in illis vehementius agitando.

§. XVIII.

Atque id non præter rem à nobis adferri, vel ex Sacra Historia constare potest. Certè cum in *Historia Jobi* ignis de cœlo mitteretur, qui servos & pecora absumebat, cumq; vehementissimus ventus irrueret in domum, filios & filias Jobi qui ruina opprimebat, Diabolus ea efficiēbat. Nam dederat DEUS omnia, quæ Jobi erant, in manus Satanæ. vid. Job. cap. 1. vers. 12. 16. 19. Unde etiam malignus Spiritus princeps aëris appellatur *Ephes. 2. vers. 2.* non quasi aërem condiderit, sed quia aërem movet & turbat.

§. XIX

Denique sententiam nostram probamus & illustramus *Exemplis tempestatum à Magis exortatarum.* De ventis & tempestate data à Magis tempore Xerxi, testatur *Herodotus Lib. 7.* De Finnis & Lapponibus scribit *Olaus Magnus Lib. 3. cap. 16.* eos olim mercatoribus ventos venas exhibuisse, tres nodos magicâ arte consecratos illis tradendos

quorum

quorum primo soluto placidos ventos, secundo vehementiores, tertio vehementissimos esse habituri. De tribus Tartarorum hordis ultra *Cazanense* regnum habitantibus, narrat *Alexander Gvaginns* in Tartaria esse supermodum deditas incantationibus, & ab iis caligines aliasque tempestates cœli frequenter excitari, hœcquæ modò Hostes profligari. Olim *Aristæus* docuit, incolas *Cycladum* certis ritibus ac hostiis *Etesias* æstivo tempore elicere, & sic svavi frigore squalorem & sterilitatem ab agris arcere. De pluviis cœlo devocatis per Magos scribunt *Pausanias in Arcad.* *Dion. Cassius Lib. 56. Xiphil. in Annot. & alii.* Alia exempla recentiora mitto. Hic enim terminum dissertationi meæ figo.

SOLI DEO GLORIA.



Linnæus